



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

II. Non licet alicui sub obtentu alicuius consuetudinis, sanctorum patrum transgredi institutiones, nec sine licentia episcopi curam committere animarum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

ANNO  
CHRISTI  
1179.

## DE EXCESSIBVS EPISCOPORVM

PARS  
XXIV.

CONTRA SVOS ARCHIDIACONOS,

& archidiaconorum contra suos  
episcopos.

## CAP. I.

*Item Alexander III. Londoniensi episcopo.*

**A**D aures nostras noueris peruenisse, quod quidam archidiaconi tui, te inconsulto, contra consuetudinem ecclesiæ sibi commissæ, personas in ecclesiis instituerunt, & sic in ecclesiis vel eorum portionibus nunc filios, nunc alias personas & vicarios instituere non verentur. Volentes itaque pro officii nostri debito in irritum deducere, quod contra iuris ordinem attentatur, auctoritate apostolica tibi duximus iniungendum, vt si iidem archidiaconi post prohibitionem tuam ipsis inde factam, instituerint sine mandato & auctoritate vestra aliquos in ecclesiis, in quibus patres eorum ministrasse noscuntur, aut personas alias: vel vicarios, cum id sit canonicæ sanctioni contrarium, liberum tibi sit, nullius contradictione, vel appellatione obstante, institutiones huiusmodi penitus irritare, & taliter institutos remouere ab ecclesiis.

CAP. II. *Idem Helieni archidiacono.*

Cum satis sit absurdum, & a sanctorum patrum institutionibus alienum, vt archidiaconus auctoritate propria debeat cuilibet causam animarum committere: ægre nimis ferimus, quod tu sine mandato episcopi tui personis animarum curam committis. Quoniam igitur obtentu aliquius consuetudinis non debes sanctorum patrum institutiones transgredi, & quod ad tuum non spectat officium, vendicare: ideo mandamus, vt nemini de cetero sine mandato & licentia episcopi tui, curam animarum committere præsumas.

CAP. III. *Idem Exoniensi episcopo.*

**A**D aures nostras peruenit, quod quidam archidiaconi tui se in ecclesias, quæ in suis archidiaconatibus vacant, au-

*Concil. Tom. 27.*

LIII